



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Tractatvs De Homine Spirituali**

**Walenburch, Adrian van  
Walenburch, Peter van**

**Antverpiae, 1666**

I.


**urn:nbn:de:hbz:466:1-10007**

## DE CHRISTO

Intercessore, Mediatore, &  
Advocato.

*Epistolæ familiares quatuor.*

## I.

1.  Eministi discursus inter non habiti, de Christo Intercessore, de Christo Mediatore, de Christo Advocato: & quid interrogatus, tãquam discipulus à magistro, responderim; sperans à te uberiores declarationem; quam tamen, præter opinionem, hucusque non obtinui. Quia verò tunc imparatus respondi; volui interrogationem ulterius discutere, & cogitationes meas hãc Epistolâ consignare, ut differendæ emendationis auferatur occasio.

2. Intercessor est, qui nullo jure  
stricto

stricto pro altero postulat beneficium; quantumvis apud illum, quem interpellat, varia producat impendendæ misericordiæ motiva; & jura amicitiaë, quæ sibi cum interpellato sunt, ad obtinendam indulgentiam fortiter simul ac suaviter urgeat.

3. Mediator est, qui in hac materia & sponsor & fidejussor, solvens debitum rei; tum quò creditori satisfiat, tum quò debitorem liberet.

4. Advocatus agit pro jure rei ex justitia; differtque ab Intercessore, qui ex justitia nihil postulat; à sponsore mediante, qui pro reo satisfacit; ipse ex justitia postulans, & debitum non agnoscens.

5. Novi, & alias esse illorum terminorum acceptiones; sed epistolam scribo; illa tantum adferens, quæ proximè ad tuam quæstionem facere videntur.

6. A Prophetis abstraho. In Evangelio non agnosceremus *Christum Iesum* Intercessorem, nisi se exhibuisset Mediatorem. Quid profuisset intercessio, nisi mediatio divinæ satisfecisset justitiæ? & quamvis miserationes Dei super omnia opera ejus; misericordia tamen & veritas sibi obviant, ne aut hæc, aut illa inveniatur solitaria.

7. Officium Mediatoris Christi non completur, nisi lytro persoluto, nisi sanguine pretioso effuso, nisi animâ per mortem à corpore separatâ. (a) Hoc officium actionem habet, & passionem, ut in actione lex compleatur, justitia doceatur, ut per actionem beneficia distribuat, quibus divinus Mediator, qualis omninò requirebatur, agnosceretur: ut per actionem pro peccatoribus  
inter-

(a) Vid. S. Anton. *Epist. 6. Bibl. Patr.*  
*tom. 4. pag. 30. B.*

intercedat, pro inimicis interpellet:  
 (a) Qui in diebus carnis suæ, preces, supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere à morte, cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia. Non est exauditus, ut salvus fieret à morte, hoc est, ut non moreretur, qui ut salvus fieret à morte, absolutè non poposcerat; quemque oportebat per Sanguinem suum in Regnum suum introire. Pro universis peccatoribus supplicavit Iesus crucifixus, tanquam Intercessor: sed non tantùm tanquam Intercessor; erat enim Intercessor in complendo mediationis actu occupatus, lytrum offerens, debitum universi orbis exsolvens. Clamor validus filij, lachrymæ filij, quid non possunt apud Patrem? lachrymæ Intercessorem designant suadentem & moventem: clamor validus Mediatorem designat, dùm solutionem

(a) Hebr. 5. 7.

nem debiti præstat, jure suo remissionem exigentem.

8. Sic & antecederet dicebat intercessor: (a) *Pater, dimitte eis, non enim sciunt quid faciunt.* Sic & dixit Intercessor ante Passionem: (b) *Ego pro eis rogo.* Et addit: *Non rogo, ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos à malo.* Multa quidem divinæ potestatis opera exercuerat Christus, etiam dimittendo peccata: sed in istis fungebatur officio; quod mediationis actu merebatur: idè de seipso testatur: (c) *Sicut dedisti mihi potestatem omnis carnis, ut omne, quod dedisti mihi, det eis vitam aternam.* Quod & repetit post resurrectionem: (d) *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.*

9. Itaque Mediator noster, in actibus mediationis occupatus, nunc Intercessorem agit rogando, nunc Mediatorem opera potestatis exercendo;

(a) *Luc. 23. 34.* (b) *Ioan. 17. 9. 15.*  
(c) *Ioan. 17. 2.* (d) *Matt. 28. 18.*

cendo; quæ potestas est effectus mediationis. Officium mediationis implevit Christus patiendo, & semetipsum pro peccatis totius mundi offerendo (a) *Sanctificati sumus per oblationem Corporis Iesu Christi semel.* Et (b) *Ipse omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Vnus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Christus Iesus.* Ideò (c) *Speramus in Deum vivum, qui est Salvator omnium hominum, maxime fidelium.*

10. Post completum officium mediationis & salvationis: non invenimus, inter Ascensionem & Resurrectionem, usum fuisse Christum officio intercessoris; neque enim decebat, præstito lytro, & soluto debito, per illum suaderi remissionem peccatorum, qui pro omnibus satisfecerat; & jure suo posset remissionem exigere, acquisitâ omni

potere-

(a) *Hebr. 10. 10.* (b) *1. Tim. 2. 4. 5.*

(c) *1. Tim. 4. 10.*

potestate in cœlo & in terra.

11. Ideò scriptum existimo: (a) *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum justum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Non dicit, si quis peccaverit, intercessorem habemus apud Patrem, qui argumentis suadentibus misericordiam exoret. Longè est eminentiùs quod asserit: *Advocatum habemus apud Patrem.* Rationem addit, cur Christum dixerit Advocatum: quia *ipse est propitiatio pro peccatis nostris*, ipse pro omnibus passus est, pro omnibus satisfecit, sive præteritis peccatis, sive præsentibus, sive futuris: *non pro nostris autem tantum peccatis*, aut solorum fidelium, *sed etiam pro totius mundi*, etiam pro infidelium & ethnicorum peccatis,

12. Ergò advocatum habemus

G 2

apud

(a) 1. Ioan. 2. 1. 2.



apud Patrem, qui jure suo à Patre postulat gratias sufficientes universis peccatoribus dari, quibus possint à peccato converti, & ad justitiam redire. Non debentur istæ gratiæ peccatoribus, in se consideratis; absit. Debentur tamen peccatoribus, quatenus Christus pro eorum peccatis satisfecit: quatenus Christus se sistit Advocatum apud Patrem; promeritam à se gratiam jure suo exigens.

13. Habemus Advocatum apud Patrem *Iesum Christum* justum, quo postulante, ex meritis ipsius, sine meritis nostris, recipimur in gratiam. (a) *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu, quem posuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius.* Non habuissimus Christum Advocatum, nisi habuissimus Christum Mediatorem. Nam Advocati officium est, postulare

(a) Rom: 3. 24. 25.

lare quod iustum est, non rogare quod indebitum est. Non poterat postulare remissionem culpæ, & pœnæ, tanquam debitam; nisi antecedenter esset satisfactum pro culpa & pœna. Nec poterat pro culpa & pœna satisfieri, nisi per mediatorem Dei & hominum, hominem *Christum Iesum*; quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius. Consequenter Officium Advocati supponit officium Mediatoris. Itaque si peccavimus, habemus recursum ad Advocatum nostrum, *Iesum Christum* iustum; ut pro nobis postulet remissionem, qui præstitit satisfactionem; ut nobis postulet iustitiam, qui est iustus, & iustificans cum Patre suo.

14. Hæc sunt, quæ mihi cogitanti occurrunt; in quibus si displicentia non correxeris, non tantum mecum errabis; sed & meum errorem tibi haud sine causa imputave-

ro. Memento in tuis quietis precibus illius, qui dum Martham imitari plerumque cogitur, suavitates de pedibus Domini distillantes non intelligit, tanquam sine magna tranquillitate non perceptibiles.

8. Decem. 1664.

## EPISTOLA II.

1. **A**Nno præcedenti fermè elapso, visum fuit per literas, si quidem possem, respondere petitioni tuæ, de Christo Intercessore, Mediatore, & Advocato. Cùm autem per hæc festa eadem recogitarem, cæpi inquirere; An sicut *Iesus Christus* est solus Mediator redemptionis nostræ, (neque enim Angelis vel Sanctis competit titulus Mediatoris, in ista significatione) ità sit solus Advocatus noster, interpellans apud Patrem pro nobis?

2. Legebam in Evangelio, dixisse